PROCANCELLARIVS
D. IOH. FLORENS RIVINVS
COD. P. P. CANON. MARTISB. CAP. WVRCEN. DECANVS
FACVLT. IVRID. LIPS. ASSESSOR ET ACAD. DECEMV.

SVMMOS IN IVRE HONORES
C L A R I S S I M O
D O M I N O.

ERDMANNO GOTTLIEB HARTMANNO
B V D I S S A - L V S A T O
D. XVII. SEPTEMBR. MDCCL.
C O N F E R E N D O S
I N D I C I T.

Biblioteca Nazionale NAPOLI V.E. III

Nuda voluntas Domini, rem ſuam in alium transferri volentis, ſecundum ſimplicitatem Iuris Naturae ſufficere poſſet deriuandis proprietatibus. At enim vero, leges ciuiles aliam dominii probandi rationem praeſcripſerunt. Iam ante noſtra tempora, priſci Germani, nuda traditione extraiudiciali in alienandis bonis immobilibus ad ſecuritatem publicam et ad euitandas fraudes ac machinas non contenti, ſolemnem in iudicio deſiderabant declarationem ſiue abdicationem iuris ſui, qua de re expreſſae extant ſanctiones in *Speculo Saxonico Lib. I. art. 8. et 59.* WEICHB. *art. 20. Speculo Sueu. art. 398.* quas, ob generalitatem verborum vt et mouentem introductionis

cauſam, ad quascunque alienationes bonorum quorumuis, quocunque demum nomine veniant, extendendas eſſe cenſemus. Sed maiorem longe ſollicitudinem in rite alienandis bonis immobilibus praeſcripſit Sereniſſimus Elector Saxoniae, in *Deciſ. Elect. LXI.* quae non ſolum ex parte alienantis venditoris, abdicationem poſſeſſionis ſiue reſignationem inueſtiturae **die Auflaſſung der Lehn**, qua de re lis olim inter BENEDICTVM CARPZOVIVM et GEORGIVM FRANZKIVM, fortaſſe occaſionem huic deciſioni dans, obtinuit, ſed et ex parte emtoris recognitionem, et a iudice, cuius iurisdictioni res aliqua immobilis ſubiecta, actualiter peragendam inueſtituram **die würckliche Lehnsreichung**, adeoque actum duplicatum, quorum vno neglecto poſſeſſor pro vero domino non habetur, expreſſa mentione deſiderat. Proinde plus vice ſimplici factum memini, contractu emtionis venditionis rite celebrato et aedibus iam extraiudicialiter traditis, imo reſignatione iudicialiter facta, impedita tamen per appellationem confirmatione et inueſtitura iudiciali, motoque interea temporis ſuper bonis venditoris concurſu, emtorem, licet implementum contractus et iudicialem inueſtituram anxie petiiſſet, antea condemnatum fuiſſe, qui fundum ad maſſam concurſus reſtitueret, quia alter actuum ad transferendum dominium deſideratorum, inueſtituram puto iudicialem, non ſecutus, atque adeo dominium adhuc penes venditorem ſeu debitorem communem remanſiſſe,

manſiſſe,

manſiſſe, emtorem vero nudum detentorem, perſonali iure munitum eſſe vi huius legis viſum, miſero emtori, vnico ſolatio, pretium emtionis venditionis bona fide ſolutum inter perſonaliter priuilegiatos repetendi, relicto; quem rigorem conſtanter retinuerunt collegia Iuridica. Nec commoueri potuerunt magiſtratus ad inueſtituram conferendam, licet poſſeſſores immobilium contractus emtionis venditionis rite celebratos et in ſcripturam redactos produxerint, aut fundos iure haereditario ad ſe deuolutos, vel etiam vltra tempus praeſcriptioni legibus definitum a ſe poſſeſſos fuiſſe liquido probatum dederint, cum primum requiſitum reſignationis iudicialiter factae deficeret. Oportebat ergo legitimos poſſeſſores magnis ſumtibus, emiſſis edictalibus illos, a quibus olim cauſam titulumque poſſeſſionis obtinuerunt, ſub comminatione excitare, vt, qui fortaſſe exeſi dudum tineis aut vermibus, aut ſeptuagenaria aetate maiores cenſendi forent abſentes, ſorte eorum ignorata, pro confeſſis et conuictis per ſententiam declararentur et reſignatio pro actualiter facta pronunciaretur. Quale exemplum hic Lipſiae coram Senatu huius ciuitatis eueniſſe recordor. Deceſſerat nempe anno quadrageſimo ſecundo huius ſeculi pater, inter alia immobilia, duos hortos relinquens, quorum vnum defuncti pater, ceu ex inſtrumento deſuper confecto confeſtim apparebat, per contractum emtionis venditionis, et quidem, cum inter venditores minorennis fuiſſet,

 praeuio

praeuio decreto Magiſtratus acquiſiuerat, neglecta tamen reſignatione iudiciali inueſtiturae ex parte venditorum. Poſſederat eundem hortum primus acquirens, poſtque eius obitum deſcendentes et haeredes eius vltra ſeptuaginta annos, quiete, bona fide iuſtoque titulo. Cum vero hi poſt tantum interuallum temporis inueſtituram iudicialem a ſenatu peterent, iniungebatur ipſis, vt haeredes venditoris citari curarent. Vrgebant hi edictales, quandoquidem non conſtabat, imo potius dubitandum erat, an in viuis ſupereſſent haeredes venditoris aut vbi terrarum degerent. *Scabini Lipſienſes* ea de re conſulti, cum defectus circa decretum magiſtratus in alienationem intuitu minorennis datum, appareret, et quidem ex actis conſtaret, deputatos ad cauſas pupillorum ad Senatum pro obtinendo decreto retuliſſe, et actuarium pro eodem reddendo ſportulas vi quietantiae exhibitae ſoluiſſe hanc ferebant Menſe Ianuar. 1744. interlocutariam: Würden die S. Erben, daß ſie gewiß glauben und davor halten, daß zu Veräußerung des in dem fol. 11. befindl. Kauffe beſchriebnen, den unmündigen H. C. A. zuſtändig geweſenen Garten Platzes das geſuchte Obrigkeitliche decret würcklich ertheilet worden, vermittelſt Eydes erhalten, alſo in ſupplementum ſchwören, immaßen ihnen zu thun oblieget, ſo iſt beſagter Kauff vor zu recht beſtändig zu achten, im übrigen aber vor allen Dingen wegen des fol. 16. verſtorbnen A. A. und deßen Sohnes

Hans

Hans Caſpars hinterlaßner Erben mehrere Erkundigung einzuziehn und davon beglaubte Nachricht zu denen Acten zu bringen, worauf ferner ergehet was recht iſt. Heredes S. grauatos ſe exiſtimabant hac Deciſione, transmiſſisque ad Ordinem noſtrum Actis Menſe Aug. eiusdem anni, aliam faciem ea cauſa induebat, pronunciabaturque talem in modum: Anlangend den ſub n. 2. beſchriebnen Garten, dieweil das concept zu dem gerichtlichen decreto ad Acta übergeben worden, ſo hat es zwar noch zur Zeit dabey ſein Bewenden, es ſeynd aber A. A. und deßen Sohnes H. C. nachgelaßne Erben zur Antwort auf das Vorbringen fol. 1. ſq. in ſoweit ſie ſelbiges concerniret, ſub poena confeſſi et conuicti, und unter der Verwarnung, daß wiedrigenfalls die Käuffe fol. vor beſtändig und ſie ihrer an ermeldeten Garten etwa habenden An- und Zuſprüche vor verluſtig, auch die Lehn vor auffgelaßen geachtet, und mit der Lehnsreichung an die S. Erben verfahren werden ſolle, edictaliter gebührend vorzuladen, worauf auch dißfals ferner ergehet was recht iſt. Emittebantur conformes huic iudicato edictales, cumque in termino peremtorio praefixo nemo compareret, qui litem aliquam moueret haeredibus, accuſata ab his contumacia, actisque iterum ad noſtrum Collegium transmiſſis ſequebatur ex voto, et quidem contra probabiliter diu praedefunctus ſententia menſe Febr. 1745. huius tenoris:

Daraus

Daraus ſo viel zu befinden daß A. A. und deßen Sohnes nachgelaßne Erben pro confeſſis et conuictis, die Käuffe fol. vor beſtändig und bemeldete A. Erben ihrer Anſprüche an den ſub n. 2. beſchriebnen Garten, daferne ſie dergleichen gehabt, vor verluſtig auch die Lehn daran vor auffgelaßen zu achten, derowegen mit der Lehnsreichung beſagten Gartens an Eingangs ernanten S. Erben nunmehro zu verfahren. Sed a rigore iſto reſignationis iudicialiter peragendae in caſu completae praeſcriptionis receſſit Auguſtiſſimus noſter Auguſtus, qui cum ante quadriennium ad tollendas diſſenſiones Collegiorum 40. *Deciſiones* emitteret, primam ſtatim eorum eſſe voluit, vt non ſolum in actione publiciana vt et negatoria probatione minus ſolenni admittatur actor, nec inueſtituram docere neceſſe habeat, ſed ſola poſſeſſio rei immobilis bona fide et iuſto titulo acquiſita ſufficere debeat. Sed et ſapienti conſilio ſanciuit, vt ei, qui vel ipſemet, vel iuncto anteceſſorum tempore, rem immobilem per triginta annos cum additamento ſaxonico poſſederit, pro pleno veroque domino habeatur, et beatitudo poſſeſſionis eidem ita proſit, vt eidem a iudice, ſub quo fundus poſſeſſus ſitus, inueſtitura iudicialis denegari nequeat. Qua quidem lege, quoad acquiſitionem dominii mediante vſucapione nil noui conſtitutum, quippe quae omni iure inter legitimos modos acquirendi rerum dominia refertur. Ipſae *Leges duodecim tabularum Tabula*

VI

VI. eandem biennio abſoluunt: ita enim: *Vſus auctoritas fundi: biennium.* ibi habetur, vbi verba: *vſus autoritas* de perfecta vſucapione, ex qua ius dominii et titulus ſiue cauſa fluat, explicat THEOD. MARCILIVS *interpretam. LL. XII. Tab. Cap. XLI.* et quamuis dubium videatur, an fundi ſub appellatione aedes etiam veniant, tamen CICERONE autore, et de his legem admittunt. IAC. GODOFREDVS *Probat. ad hanc Tab. pag. 110. in* EVERH. OTTONIS *Theſ. Iur. Rom.* Et ſicut in foro Romano actione rei vindicatoria in iudicium deducta, actorem non premebat neceſſitas autoris ſui dominium probandi, ſi tempora vſucapionis completa doceret; ita Iure Saxonico ſuperſedere poteſt reſignatione iudiciali, ſi fundum proprio iure, et tempore lege definito vſucepit, quippe quem defectum praeſcriptio omnino ſupplet, ita vt ipſo iure extinguat dominium auctoris idemque illud plene perfecteque tribuat praeſenti poſſeſſori. Cum quo conſpirat Ius Longobardicum *II. Feud. 33.* Duplicem modum acquirendi feudum ſubminiſtrat, nempe inueſtituram et ſucceſſionem, vel, vti verba ſe habent: *quod habetur pro inueſtitura*, vbi ſub inueſtitura procul dubio praeſcriptio continetur, quae loco inueſtiturae cenſetur. Inde a feudiſtis praeſcriptio inueſtitura praeſumta vocatur. Quodſi enim quis, per triginta annos rem aliquam vt feudum poſſedit et ſeruitia domino exhibuit, quamuis de ea re non

ſit inueſtitus, praeſcriptione tamen ſe tueri poterit, et licet inueſtituram non probet, verumtamen obtinebit praeſtito fidelitatis iuramento 2. *Feud.* 28. §. *ſi quis.* Quemadmodum ex aduerſo, inueſtitura, intra tempus praeſcriptioni definitum non petita, dominio directo obeſt et feudalem in allodialem conuertit qualitatem, vt poſſeſſor vi vſucapionis tutus ſit, nec a domino antea directo, ex cauſa feloniae feudo priuari, aut ipſi, ſi vel maxime dominus directus tertio inueſtituram concedat, praeiudicio cedere queat. Interuerſo enim per praeſcriptionem dominio directo, non poteſt amplius in feudum concedi res, quae qualitatem feudalem amiſit, cum nemo plus iuris transferre poſſit quam ipſe habet, prout in cauſa illuſtri de feudo quodam Haſſiae H. *ICti Halenſes ad interrogationem W. G. v. H. verſus M. menſe Mart.* 1692. reſponderunt. Igitur Potentiſſimus ſaltem dominia probata per praeſcriptionem in tutum collocare, et ambages difficultatesque illas quae antea circa reſignationem iudicialem pro forma deſiderabantur, praeſcindere, vt poſſeſſores recta via ad Inueſtituram pertingere queant voluit. Imo ſi vera fateri velimus per factum hoc iudicis poſſeſſor plus iuris non conſequitur quam completa praeſcriptio ipſi iam tribuerat. Ipſo momento enim abſolutae vſucapionis pleno perfectoque iure dominii fruitur et fiducia praeſcriptionis communitur, inueſtitura vero ſaltem propterea per-

agenda

agenda, vt iudices certiores reddantur, quos praediorum, ſibi ſubiectorum poſſeſſores oneribus publicis ferendis obnoxios, tabulisque cenſualibus inferendos habeant, et ne fortaſſe quis obueniente alienatione aut oppignoratione decipiatur. Sane vti dominium rei ſingularis legatae in momento mortis teſtatoris beneficio legis in legatarium tranſit; vti in ſubhaſtationibus publicis licitans ſine praeuia reſignatione debitoris ſtatim vi diſpoſitionis expreſſae in *Emend. Ord. Pr. Sax. ad Tit. XXXIX.* §. *18.* verbis: **nach erfolgter** adiudication **wird das Guth demjenigen der es erſtanden völlig eingeräumet, auch ohne vorhergehende Aufflaßung des Schuldners in Lehn gegeben,** inueſtiendus: ita nulla diuerſitatis ratio apparet, cur non eodem modo, absque omni ſolennitate, iudex ex ſua parte eum pro vero domino agnoſcere debeat, quem leges ob praeſumtionem iuris et de iure, quae omnem probationem contrariam excludit, pro tali indubitate habeat. De caetero ſalua integraque manet autoritas *Deciſ. El. LXI.* in reliquis alienationibus inter priuatos celebratis, in quibus adhuc hodie in Electoratu Saxoniae reſignatione iudiciali opus, nec per *Nouiſſimam primam deciſionem* eidem derogatum eſt. Prior enim *Deciſio* ſe refert, ceu ex rubro et contextu apparet, ad cauſam venditi, tanquam modum acquirendi dominium, a quo titulus aquirendi dominii, qualis eſt vſu-

capio, differt, de qua nulla lis. Quare ſtat reſignationi iudiciali ſua autoritas, ſed et vſucapioni ſuus merito reliquus eſt vſus, in qua, reſignatio iudicialis, ſalua ſubſtantia, merito abeſſe poteſt. Suppeditauit *Illuſtr.* BERGER in ſpeciali elegantiſſima diſquiſitione: *de vtilitate vſucapionis in probando dominio iis praecipue in locis quibus recepta eſt reſignatio iudicialis* §. *XXIII.* e iuris prudentia deliberatiua conſilium pro tollendis difficultatibus. Sed non accedit illud ad ſapientiorem illam Deciſionem, qua POTENTISSIMVS, rem tam diuerſimode ventilatam, compoſuit. Occaſionem huic ſcriptioni dedit *Diſſertatio inauguralis: de Simultanea Inueſtitura, eaque legali aut conuentionali, in feudis Luſatiae,* quam defendendam ſuſcepit Candidatus noſter Nobiliſſimus

DOMINVS

ERDMANN GOTTLIEB HARTMANN.

Patriam nactus is eſt Luſatiam ſuperiorem, natus Budiſſae, anno 1721. d. 3. Menſis Martii. Patre vtitur ſuperſtite D. THEOPHILO HARTMANNO Cauſarum Patrono per nouem Luſtra celebratiſſimo, matrem vero REGINAM MARGARETHAM, natam MÜNCHIAM, humanis rebus d. 31. Iul. anno 1743. licet ereptam, pia recordatione veneratur. Principiis chriſtia-

nae

nae religionis et liberarum [illegible] ſimis praeceptoribus, inter quos SOL[illegible], nunc V. D. Miniſtrum in Marchia numerat, [illegible] Ab anno 1735. in patrio, quod dicitur Gy[illegible], BEHRNAVERI, ZEISKII, Rectorum, nec non IANI, CALMANNI, WEISIIque Con- et Subrectorum, quibus ſingulis multa ſe debere fatetur, ex inſtitutione, humanioris elegantiorisque doctrinae fundamenta hauſit, ac linguarum ſtudio iisdem autoribus operam dedit. His praeſidiis inſtructus, anno 1741. ad Almam noſtram acceſſit, atque B. KLAVSINGIO tum faſces Academiae tenente, nomen albo ſtudioſorum dedit. In Philoſophia GOTTSCHEDII, in matheſi pura et applicata HAVSENII, etiam vita defuncti, et WINCKLERI praecepta guſtauit. In iurisprudentia vero, ab ore MASCOVII, FEVSTELII, MÜLLERI, HOMMELII, SIEGELII, MENCKENII, pependit; ſed et meas ſcholas frequentauit. Artem diſputandi inter priuatos parietes, ſub moderamine MENKENII et RICHTERI coluit. Qua in ſocietate occaſionem nactus, diſſertationem epiſtolicam: *de literis reuerſalibus ſimultanee inueſtitorum, ad liberam Vaſalli alienationem in feudis Luſatiae ſuperioris minus neceſſariis*, qua CHRISTIANO HARTMANNO Hamburgenſi anno 1744. Summos in vtroque Iure honores capeſſenti gratulatus eſt, publici iuris faciendi. Cum au-

tem ad cauſas in foro, ad exemplum Patris, orandas ſe accingere, apud animum conſtituiſſet, examine Iuris Candidato ſubeundo, Ordini noſtro d. 15. Mart. 1745. ſtudia ſua probauit. Fortunauit conſilium eius gratia Potentiſſimi Regis noſtri ſingularis, qua nonſolum poteſtas patrocinia cauſarum ſuſcipiendi ipſi conceſſa, ſed et triennium illud, intra quod aduocati recens admiſſi, coram iudicio patriae eius ordinario, tanquam inſtantia ſuperiore et ſummo prouocationum ſenatu experiri prohibentur, vi Reſcripti ſpecialis anno 1746. ad Ill. Praeſidem Curiae ſuperioris emanati, clementiſſime remiſſum. Reduci in patriam non otia per luſtrum eidem contigerunt, ſed mox cauſae, interque eas non exiguae, curae eius fuerunt demandatae. Nunc ab Ordine noſtro Summos in vtroque Iure honores petiit, qui eidem ſuperato examine rigoroſo, quo noſtris praeſumtionibus egregie ſatisfecit, decreti. Die inſtante Mercurii, qui XVI. Septembris, hora pomeridiana ſecunda, *L. f. C. de Ed. D. Hadr. toll.* lectione curſoria explicabit. Proximo ab hoc, Diſſertationem inauguralem, thematis paulo ante nominati, abſque praeſide defendet, eademque finita, Collega noſter Summe Reuerendus et Excellentiſſimus, Dn. FRIDERICVS ALEXANDER KÜNHOLD Pand. P. P. Canon. Numburg. et Ordinis noſtri Aſſeſſor, cui, autoritate Regia conſtitutus ego Procancellarius, hoc munus Promotoris demandaui, ſummos

mos in vtroque Iure honores et priuilegia doctorum, qui ad Collegium noſtrum non adſpirant, ipſi tribuet. Quem actum vt ACADEMIAE RECTOR MAGNIFICVS, ILLVSTRISSIMI COMITES, nec non vtriusque Reipublicae Proceres, praeſentes ornent, Generoſiſſimi etiam ac Nobiliſſimi Ciues noſtrae Academiae, concelebrent, etiam atque etiam rogo atque contendo. P. P. Lipſiae Dom. XVI. P. F. S. S. Trin. A. S. MDCCL.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

VA1 15202,40

Digitized by Google